


d. 1250





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO-PHYSIOLOGICA 19
DE
OVVLI IMPRAEGNATI
NEXV CVM VTERO

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIIS
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
V I R O
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DN. IOANNE IVNCKERO
MEDICINAE DOCTORE ET PROFESSORE PVBLICO ORDIN.
ORPHANOTROPHEI HALENSIS MEDICO PRACTICO
CELEBERRIMO

FAVTORE AC PRAECEPTORE OMNI OBSERVANTIA
COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS SOLLEMNITER CONSEQVENDIS
AD D. XV. IVNII MDCCLVII.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVEMITTIT
A V C T O R

BERNHARDVS PERKVHN

BARTENSTEINII PRVSSVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

INSTITUTIONE REVERENDISSIMO PATRI

OVVLI IMPRABENTATI
MNY CVM YTHRO

CONSTITUTIONE REVERENDISSIMO PATRI

PRO GRADU DOCTORIS

IN PHILOSOPHIA

AVGVSTVS

IN THEOPHILUS



HEROI
HVIUS SECVLI PERQVAM MAGNO
ILLVSTRISSIMO GENEROSISSIMO
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
HANS DE LEHWALD
POTENTISSIMI BORVSSIAE REGIS AC
ELECTORIS BRANDENBVRGICI
SVPREMO BELLI LEGATO
MARESCHALLO DICTO
MERITISSIMO

GENERALI EXCVBIARVM PRAEFECTO
OMNIVM REGIS BORVSSIAE AVGVSTISSIMI COPIARVM
QVAE ARMA IN CASTRIS BORVSSICIS PRO PATRIA
STRENVE GERVNT SPLENDIDISSIMA
GVBERNATORI SOLERTISSIMO
CLAVSTRORVM ET PORTVVM QVIBVS REGIOMONTVM
MEMELIA ET PILLAVIA FLORENT
EQVITI TORQVATO
AB AQVILA NIGRA BORVSSICA NVNCVPATO REVERENDISSIMO
TRIBVNO
LEGIONIS PEDESTRIS PER TOT CLADES HOSTIVM FELICISSIMO
CENTVRIONI
TANGERMVNDAE VIGILANTISSIMO
DYNASTAE
TERRARVM MASSAVNEN HONIGBAVM
REGITTEN CAETERA

VIRO

TOGA SAGOQVE

MAGNO

PATRIAE DECORI ET ORNAMENTO

EXIMIO

RERVM BENE GESTARVM

MVLTITVDINE

EXCELLENTIBVS INGENII DOTIBVS

IN CASTRIS

ALACRITATE, FORTITVDINE, AVTORITATE

PRVDENTIA

COMPLVRIVM AMPLISSIMORVM MVNERVM

DIGNITATE IN GVBERNANDO REMPUBLICAM

FAVTORI ERVDITORVM OPTIMO

SVMMO

VIRTVTVM SPLENDORE

SPECTATISSIMO

MAECENATI
PATRONO SVO INDVLGENTISSIMO

SVMMA ANIMI PIETATE AC DEVOTISSIMA RELIGIONE
AETERNVM DEVENERANDO
HASCE QVALESCVNQVE STVDIORVM SVORVM
PRIMITIAS
IN PERPETVAM MEMORIAE IMMORTALIS TESSERAM

NEC NON
IN DEMISSISSIMAE VENERATIONIS MONVMENTVM

CVM
ARDENTISSIMO ET MAXIME PIO VOTO
OMNIGENAE ET SEMPITERNAE PROSPERITATIS
BELLI ET PACIS TEMPORIBVS
CORPORIS SPECIATIM INCOLVMITATIS AD SEROS
VSQVE ANNOS CONTINVAE
SACRAS ESSE CVPIIT
SEQVE EIVS CLEMENTIAE, CLIENTELAE ET PATROCINIO
MVNIFICENTISSIMO
PERMISSVM AC TRADITVM EXOPTAT

ILLVSTRISSIMI NOMINIS

OBSERVANTISSIMVS AC DEVOTISSIMVS CVLTOR ET CLIENS
A V C T O R.



§. I.

uuli impraegnati nexum cum vtero demonstraturus, permagni mea interesse reor, totum generationis opus ita pertexere, vt omnes mutationes ouulo sub foecundatione subeundae sistantur conspicue, sicque locus follicite inquiratur, in quo ouula ante sui impraegnationem resideant; angustiae denique omnes, quas superare debent, vsque dum ad vias sibi proprias deducta, eas felici omine permeare atque ipsum vteri cauum pertingere possint. Ac tum licebit opportunius propositi nostri metam attingere et nexum ouuli ac cohaesionem cum ipsa vteri substantia explanare vberius. Quod dum facimus, faxit diuina clementia feliciter!

§. II.

§. II.

Si quid vnquam fuit, quod industriis rerum physiologicarum scrutatoribus molestiae satis et difficultatis faceffit: generatio profecto humana est, quae, prouti abstrusum denique caligine inuolutum constituit opus; ita mirum in modum sagacissima doctorum torsit ingenia: siue enim in amplissimos venerandae antiquitatis excurras campos; siue recentiorum magis fertilia perlustras prata: facile omnino animaduertes, nullo non tempore defuisse viros, qui, vt propriae de sua origine satisfacerent curiositati, varias in medium protulere hypotheses, atque ita rem per se obscuram clariorem facere allaborauerunt, quamquam non nulli eandem multo obscuriorem reddiderint fictis ingenii sui commentis.

§. III.

Antiquissima fuit illa generationis explicatio, quam veteres Philosophi, ipsique medicinae parentes HIPPOCRATES *a*) atque GALENVS *b*) in apuricum protulerunt, quamque plerique sequentium temporum philosophi *c*) suo comprobarunt ad sensu. Putant nempe semen prolificum e cunctis corporis partibus sexus vtriusque ad genitalia deferri, ibidemque quamlibet partem stupendae exiguitatis sui similem formare delineationem; delineationes haec simul colligi in testibus, vacua-

a) In libris de genitura, de natura pueri et vitæ ratione.

b) In libro de femine.

c) CARTESIVS in lib. de formatione foetus HIGHMORVS disquisit. anat. lib. I. p. IV. cap. V. HONORATVS FABER tract. de plantis et gener. animal. lib. V. prop. LXV. et LVI.

vacuari sub coitu in vterum, atque ita femina sexus vtri-
usque simul commixta formare foetum.

§. IV.

ARISTOTELES obscuriora magis rimari adfue-
tus minime in hacce adquiescere potuit hypothesi: eo
quod semen prolificum variis ex rationibus *d)* feminis
deneget, et hanc ob causam ab ista prorsus diuersam
tradere coactus fuit generationis theoriam *e)*. Etenim
femini masculino soli virtutem plasticam adscribere non
dubitat, ita tamen, vt menstrua mulierum suo non de-
stituantur vsu, sed iuncta quasi opera cum semine con-
ceptionem efficiant. Non magnum haec nacta fuit sen-
tentia applausum: quum haud obscure plerique intel-
ligerent, dari complures feminas, quae hocce orbatae
profluuio, partus aequae numerosos edant *f)*; et con-
tra eae fruentes tali naturae beneficio nuptaeque viro
fatis valido, steriles per totum vitae suae maneant cur-
riculum *g)*.

§. V.

Non diu immorabimur in recensendis aliorum
antiquorum circa generationem placitis, qui, partim
vtero soli vim plasticam adscribunt; partim feminis
vim inesse coagulantem sibi persuadent, quae latici
B men-

d) In compendium eas redactas vid. apud REGNERVM DE
GRAAF. in tract. de *mulierum organis* C. XIII.

e) In tract. de *generatione animal.* lib. I. cap. 20.

f) Exempla citata vid. apud *perillustr.* DE HALLER in not. ad
praelect. acad. instit. Boerhaav. tom. V. part. I. pag. 360. seq.

g) Exempla in communi vitae stadio non infrequentia occur-
runt, interim vid. HILDANVS *Cent. II. Obs. 61. it. Cent. IV.*
Obs. 62.

menstruo accedens, eum inspisset, condenset et hoc modo foetum producat; partim vero cum *chemicis*, per fermentationem a calore excitatam proles progigni firmiter adseuerant: cum talia annales Medicorum veterum euoluentes non lateant, et nobis commode lectores ad historias medicinae hic loci ablegare liceat.

§. VI.

Propius ad scopum speciminis nostri inauguralis accedemus; si, quo nos iam ordo ducit, recentiores, inter quos tres potissimum locum tenent opiniones, in medium protulerimus. Prima nimirum est immortalis HARVEI; altera post fata adhuc superstitis LEEWENHOECKII. Tertia tandem *illustr.* DE MAVPERTVIS, BVFFON, NEEDHAM, aliorumque sagacium naturae scrutatorum.

§. VII.

Primus ex horum numero HARVEVS rudimenta foetus in ouulo delineata iam statuit, sed stupendae exiguitatis. Putat nempe, illa sub coitu, tanquam per contagium maris geniturae eiusque subtilissimae aerae, in motum cieri, euolui et incrementum capere. Multis hanc corroborauit theoriam experimentis: dum circa impraegnationis initia in damis ceruisque sollicitè obseruauit, quales in vtero contingant mutationes; quamuis oculate sistere nunquam potuerit praesens in ouulo rudimentum. Vnde non est, quod mireris, eum maximos in arte nostra secutos fuisse viros, inter quos praecipue nominare placet b. m. HOFFMAN-
NVM

NVM *b)* *illustr.* PRAESIDEM fautorem ac praeceptorem summa obseruantiae cultu prosequendum *i)*.

§. VIII.

Alter, videlicet LEEVWENHOECKIVS *k)* per microscopia magno artificio confecta obseruauit, in semine humano bonae frugis innumera reperiri animalcula, formam fere anguillarum referentia, insignis velocitatis. Obseruauit non diu post congressum maris et feminae adesse ouulum ex ouario ad vterum delatum, in eoque repertum fuisse simile animalculum. Hinc talem format generationis modum, vt statuat, durante oestro venereo ouulum per tubam fallopianam ad vterum deferri, proprio calore vascula membranæ, ouulum cingentis, ampliora reddi et sic aditum quasi aduenienti animalculo sterni, quo eo commodius excipi possit, foueri et ad certum tempus gelatinofo ouuli liquore nutriri. Congruunt hae LEEVWENHOECKII obseruationes exactissime cum iis, quas *cel. LIEBERKÛHNIVS* saepius cepit et cum *illustri HAMBERGERO* in epistola, *physiol.* p. 707. inserta, cum adiectis figuris, communicauit, quasque ipse in vita adhuc superstes, Berolini mihi degenti pluribus verbis confirmauit.

§. IX.

Tertia sententia sane ingeniosa est, sed veteri HIPPOCRATIS atque GALENI multum aemula parumque omnino ab illa diuersa. Existimant namque ILLVSTRES supra nominati VIRI, intrinsecam esse

B 2

cor-

b) *Med. rat. syst.* tom. I. lib. I. sect. II. cap. XII.

i) *Conspect. physiol.* tab. VI. de gener. et partu.

k) Vid. eiusd. *epistol. ad regiam societatem Londinensem.*

corpori humano vim, qua partes aliae ita affimilari possint, vt ad naturam cuiuslibet corporis parti propius accedant, indeque pars quaelibet corporis proprio sibi affimilato nutriatur liquore. Reliquas partes, nutritioni superfluas, quasi deciduas ad genitalia deferri, per organa, vtrique sexui propria, secerni, et sub coitu inter se commisceri, motu interno atque calore agitari, ita; vt, quum omnes partes suis iam membris affimilatae sint, ex legibus cohaesionis sibi inuicem adaptentur, et speciem corporis humani repraesentent. Si in hacce ad se inuicem appositione sexus potioris partes numero, alias sequioris, praeualuerint; masculum exsurgere: si sequioris; femellam l).

§. X.

Recensitis itaque celebrioribus de generatione hypothelibus, facile iam quisque perspiciet, quod, licet successu temporis in euoluendo abstrusissimo generationis mysterio lucis haud parum accesserit, multum tamen adhuc tenebrarum et obscuritatis permaneat. Etenim quem latere possunt inextricabiles, quae *Leeuwenhoekianam* sententiam premunt, difficultates, quaeque tum apud celeberrimos reperiuntur physiologiae scriptores m), tum quae haud ita pridem a *cel. LYONNET* n) prolatae sunt; de eo vero nullam mentionem iniiciam, quod per talem explicationem semper adhuc modus generationis obscurus permaneat, et quaestio redeat, vnde animalcula spermatica ortum capiant et reli-

l) *Euoluatur venus physic et hist. nat. vniuers.* tom. I. p. I.

m) *Perillustr.* DE HALLER in not. ad praelect. acad. insit. Boerhaui. tom. V. part. I. pag. 360. seq.

n) In notis ad D. LESSERI *infecto-theologiam gallicae* versionis.

reliqua. Ad nouissimam autem quod attinet *illustrium virorum* DE MAVPERTVIS, BVFFON et NEEDHAM hypothefin, illam sane refutant omnes argumentationes, quae contra semen feminarum ab aliis disputata sunt prolificum, ac mixtionem feminum vtriusque sexus o), vt reliqua sicco pede praeteream. Quid igitur nobis aliud relinquatur, quam vt HARVEO nostrum praebeamus adfensum, eiusque sententiam, tanquam reliquis omnibus, licet paucioribus iisque facile remouendis pressam difficultatibus, praefarendam adsumamus. Interim nos totos eidem non trademus, sed potius nostras pertexemus meditationes, vbi veritati conuenientiora occurrere videntur.

§. XI.

Itaque negotium generationis ex ouulo, cum suis staminibus praeesistente, nobis declaraturis, ab ouo rem incipere conueniet et paulo adcuratius ouariorum fabricam describere. *Ouaria* sunt corpora fere sphaeroidea, linea superne conuexa, inferne plana, tubas *fallopianas* respiciente, terminata. Illae lineae *margines* ouariorum constituunt. Superficies eorum vtrinque planae atque compressae sunt. Fabrica yteri fabricae multum aemula, stipata satis densaque cellulosa intertexta. Euincit hoc vehemens per tubulum inflatio, qua non eleuantur vesiculae, alias in laxo cellulosae contextu conspicuae. Sed sedent in hisce ouariis rotundae vesiculae, membrana pellucida cinctae atque liquore lymphatico, limpido, ad ignem albuminis instar concre-

B 3

cre-

o) Quae omnia solide praestita videbis ab *illustr.* HALLERO *reflexions sur le systeme de la generation* DE MR. BVFFON.

crefcente, plenae. Tales fphaerulae numero quidem variant; ordinarie tamen in vno ovario folent adelfe decem vel duodecim, atque ita inter fe per fubtiliffimas cellulofae fibrillas connectuntur, vt ex omni parte pendulae permaneant.

Haberi equidem folent vulgo cum GRAAFIO, a quo etiam denominationem ouulorum acceperunt p), fpho antec. defcriptae bullulae pro veris ouulis, in quibus futuri foetus mirifica lateat ftructura: aft vehementer animi pendeo, num pro veris ouulis eas declarare fuffineam; quum non defint grauiore caufae, quae contrariam fententiam amplecti fuadent.

§. XII.

Sed nobilior adhuc particula in intimis veficularum *Graafianarum* recondita latet recessibus, quam iure merito ouulum elfe iudicamus. Continent nempe *Graafianae* veficulae corpus quoddam hemifphaericum, primo rubicundum, deinde flauum vel cinereum, intus cauum, et in hac cauitate veficulam, quantum affequi licet, ftamina futuri foetus. Dicitur hoc anatomicis *luteum corpus* et in principio exiguum apparet, deinde crefcit vifque dum certum magnitudinis gradum nactum fuerit, poftea decrefcit, euanefcit, et

p) Litem hic noftram non facimus, cui nam proprie gloria inuentiois harum veficularum debeat, an GRAAFIO, STE-NONI vel VAN HORNIO? qui talia fcire cupit, adeat appendicem *tracl. mirac. naturae* feu *uteri muliebris fabric.* IO. SWAMMERDAMI, et *defens. partium genital.* REGNERI DE GRAAF *ad focietatem regiam anglicanam.* Nos interim retinemus cum *perilluftr.* HALLERO alifque *celeberrimis viris*, denominationem a GRAAFIO defumptam.

et post se vel exiguum relinquit acinosum corpusculum vel maculam quamdam subfusci coloris. Sed omnia haec primo post foecundum feminae congressum in conspectum prodeunt, nec prius quidquam acie oculorum vsurpare licet.

§. XIII.

Vnde ergo origo lutei coaguli? vnde tam citus post egressum veri ouuli prouentus? Haec sane perdifficilis quaeestio est, et circumspecto soluenda iudicio. Si tamen perlustrare *col. KVHLEMANNI circa negotium generationis institutas observationes* minus grauatus fueris: multum vtique lucis tibi adfundi persentisces, perlecta eius obseru. IX. sect. III. Etenim soterter ille animaduertit, non diu post ouuli impraegnati egressum liquidum rupta vesicula, effundi parietesque ipsius in superficie interna quasi glabros adparere. Post sex circiter a coitu celebrato horas, crassior fit et ex parietibus flocculi progerminant tenerrimi. Paulo post in cavitatem et margine inprimis, papillulae carnea rubei coloris propullulant ex dictis flocculis, velut acini inter se connexae. Increfcunt demum tales papillulae, explent cavitatem vesiculae, super marginem maiores fiunt et carnis luxuriantis instar papillam repraesentant mollem, cruentam. Tandem papilla talis in magnitudinem se profert, durior euadit et suam amittit cavitatem. Tertio denique die, primo intuitu, in superficie externa nulla cavitatis conspicitur, vsque dum subtili stylo papilla pertusa foueam sistat innumeris plenam papillulis. Ergo lutea haecce hemisphaeria cicatriculae q),
a pro-

q) *Col. KVHLEMANN I. c. §. 76.*

a proficiente ouulo foecundato inflictae, ortum suum habere, satis manifestum est.

§. XIV.

Quum itaque neque vesiculae humore gelatinoso plenae (§. XI.); neque ipsa corpora lutea (§. XII.) ouula constituent genuina; restat iam haud obscure euincere, ouula vera in solo calice corporis lutei delitescere. Enimvero si vesiculae, pisi fere minoris magnitudinem in sua constanter teneant peripheria, ipsis hoc vltro fatentibus eorundem patronis *r*), *tubae vero fallopianae* tanta praeditae sint angustia, vbi hiant in vteri cauum, vt vix subtilissimo styli apici transitum concedant *s*): vtique minus videtur verosimile, fieri posse, vt vesicula ab omni ruptionis metu libera tantas percurrat angustias. Vt de eo nihil prorsus commemorem, quod impraegnatae maius adhuc debeant volumen constituere et sic aegrius vias permeare arctiores. Et quid denique repones obseruationibus tot, tantisque *Kublemannianis*, quod hae vesiculae sub foecundatione ruptae fuerint, et liquor, ibidem contentus, effusus. Hae sane, quidquid probabile prius adhuc adparebat, omne id vno velut flumine tollunt e medio. Quod vero lutea concernit coagula, ea non ab simili modo ouula possunt esse genuina: quum ortus eorum post conceptionem §. antec. demonstratus sit, et in ouariis semper immota permaneant, nec vnquam cauum vteri contingant.

§. XV.

r) Conf. modo *scripta* REGNERI DE GRAAF et VERHEYNIH.

s) Vid. *perillustr.* HALLERI *physiol.* §. 825. I. B. WINSLOW *exposition anatomique de la structure du C. H. traite du bar-Ventre* No. 608.

§. XV.

Praescriptis sic bullulis et luteis concrementis a purissima ouuli substantia segregatis (§. antec.), iam propius ad veritatem rei sponte ducimur, vt dandum quid etiam videatur in inquirendo nobilissimae totius ouarii particulae domicilio. Satis opinor §. XIII. hic nobis lucis adfundit: dum foueolam in corporibus luteis spectandam sistit, quae super manet post artificiosissimam eorum formationem. Nonne haec suadet, citra omnem titubationis metum, suspicari, verum ibi ouulum delitescere reconditum? Nonne perpetua in foecundis feminis corporum luteorum praesentia, in sterilibus contra absentia, eorum incrementum et constans ad numerum editorum foetuum ratio magnum huic addunt pondus augurio *t*)? Certe haec vltro conuincunt et cogunt veritatis amantes ad amplectendum pulcherrimum nostri aevi inuentum.

Non equidem nescius sum, variis hanc nostram sententiam confirmari a *Magnifico Prorectore* nostro POEHMERO *u*) argumentis: quae vero hic adponere limites nobis praefixi prohibent.

§. XVI.

Iam liceat nobis attentius admirandum hocce naturae depositum rimari, et paulo vberius in artificiosissimam eiusdem structuram inquirere. Ante vero, quam ipsum hoc graue suscipiamus onus, in limine ingenue fatendum est cum viris, eruditione conspicuis, neminem vnquam verum ouulum *x*), multo minus al-

C

tius

t) Conf. *perillustr.* HALLERI *physiol.* §. 825.

u) In *obseru. circa uterum rarioribus* p. 29. seq.

x) Vid. *perillustr.* DE HALLER *physiol.* l. c.

tius recondita oculis vsurpasse rudimenta. Ast, vt ut se nobis subtrahant abditi naturae recessus: dies tamen cuncta in apricum profert, vt abstrusissima tandem soluere liceat naturae miracula. Non ergo prorsus desperandum nobis; quantumuis adhuc in spissa oberremus caligine. Eo namque progressa iam est gnara physiologorum solertia, vt non ita longo tempore post ouuli, aura subtilissima afflati, in vterum aduentum, eiusdem demirari liceat mutationes. Tantum igitur adest, vt structuram ouuli eiusdemque externa inuolucra exactius describere non queamus, vt potius ad altiora adhuc nos eniti, et apertis quasi valuis, interiores ouuli ob oculos ponere mutationes possimus.

§. XVII.

OVVLVM est sphaerula molis summe exiguae duabus sibi inuicem accumbentibus vestita membranis liquidum gelatinosum in se continens cum rudimento corpusculi organici artificiosissime structi. Membranae hae ex innumeris conflatae sunt vasis, quae a primis vasorum ouarii fimbriis oriuntur, pertusis tandem integumentis *Graafianae* vesiculae, altius semet immittunt et membranulas, rudimenta sepientes, mirifice perreptant, vsque dum more caeterorum vasorum in vascula exhalantia et reuehentia vltimis se determinent apicibus. De existentia horum vasorum magis conuincimur: si perpendamus, 1) quod villi, ouulum contingentes, post eius exiguum incrementum nudis oculis conspici possint y). 2) Quod ex his villis *placenta* formetur *verina*; dum nempe vasa vteri exhalantia et resor-

y) Vid. *perillustr.* DE HALLER *physiol.* §. 828.

resorbentia anastomosin cum illis subeunt 2). 3) Tandem quod integumenta nutritionem exposcant; quae vero absque vasis locum habere non potest.

Desumpta haec descriptio est ex iis obseruationibus, quas seduli naturae ceperunt inuestigatores, diligenter attendendo ad omnes mutationes ouuli, primo statim tempore in tubis *fallopianis* vel vtero conspicui; per analogiam concludendo sanae rationi conformiter. Vera enim ouula, corporibus adhuc luteis oclusa, quis posset describere, quum ea nunquam viderit? Certe quidquid hic ab aliis venditatur, fingitur magis quam firma stabilicitur experientia.

§. XVIII.

Vascula ergo exhalantia subtilissimo suo rore rudimenta foetus in eoque contenta fluida irrigua seruant; reuehentia vero, extremitatibus suis in cauum ouuli terminata, tanquam capillaria, contenta iam fluida in se recipiunt, quo minus stagnando foedam subeant corruptionem. Probari quidem hoc posset firmis ex physiologia petitis argumentis: at quum neminem tam perfrictae frontis futurum nobis persuadeamus, qui veritates luce meridiana clariores in dubium vocare sustineat; commode tali supersedemus labore. Transitem potius facimus ad nobiliora, quae restant, vtque illa eo melius enodari possint, vteri fabricam cum tubis *fallopianis* subnectemus.

§. XIX.

Vterus est viscus organicum, triquetrum, in media cauitate peluis inter vesicam vrinariam et intestinum rectum situm, et per ligamenta lata a peritoneo

C 2

pro-

2) *Idem ibid.*

producta atque rotunda, quae plexus vaforum sunt, pelvis lateribus adnexum. Substantia eius tota a peritoneo amicta est, ita vt tunicam ab eo externam, leuem, politam acquirat. Peritoneum enim superficiem vesicae urinae posteriorem inuestiens ad ima colli vteri migrat, reflectit semet super faciem vteri anteriorem planam, transgrediendo fundum ad faciem posteriorem conuexam se confert, profundius descendit obducendo partem posteriorem colli et rursus superiora petit ad intestinum rectum, circa cuius latera paulo altius ascendendo illud cum vtero per plicam semilunarem *Douglasii* coniungit *a*).

Caue putes, etiam in statu grauiditatis vesicae urinae partem posteriorem tegi: vtero enim mole sua crescente peritoneum sursum eleuatur, et portio illa, quae vesicam velabat, ita detorquetur, vt curta vesicae remaneat suppellex. Quamquam autem complures euincant obseruationes, peritoneum insignis esse distensionis, prout id testantur aegroti, qui tympanitide laborant: hoc tamen propter nimiam cellulosae substantiae laxitatem in statu grauiditatis non habet locum: quippe quae par non est sustentandae tantae vi sursum trahenti; cedere ergo debet et omnis penitus solui adhaesio. Suauiissima mentem meam subit recordatio praeparati anatomici feminae cuiusdam, instante partu defunctae, cuius mihi copia facta fuit Berolini in eruditis praelectionibus artis obstetriciae viri illustris MECKELII, anatomici hoc aeuo clarissimi, fautoris ac praeceptoris nunquam mihi satis deuenerandi. Perfectissime hoc ante oculos ponebat omnis adhaesionis peritonei cum vesica urinaria solutionem.

§. XX.

a) Vid. *perillustr.* DE HALLER I. c. §. 803. et WINSLOW I. c. No. 600.

§. XX.

Dum hoc modo (§. antec) peritoneum vterum et quidem totum obuoluit, tum iuxta tractum cuiuslibet lateralis partis duplicaturam quamdam eamque latam format, intra cuius penetralia sedent cūaria, cum tubis *fallopianis*, quae ex fundo vteri superne emittuntur, vasisque innumeris, ligamentis rotundis atque neruis. Hae duplicationes laterales anatomicis *ligamenta lata* seu *alae vesperilionum* audiunt.

Plura hic dicere de externis vteri inuolucris, de varia vteri diuisione et reliquis, ad scopum nostrum nihil adinet; ne extra oleas vagari lectoribus nostris videamur. Licebit tamen optime meritis de arte anatomica adire viros, ALBINVM nempe atque HALLERVM, e quorum limpidissimis fontibus ea, quae exoptant lectores, facili negotio haurire poterunt. Ad interiora potius transgredimur.

§. XXI.

Interior vteri substantia ex densa, duriuscula cellulosa contexta (neque enim vllas musculares fibras obseruare licet) et vasis omnis generis gyrorum modo prestantibus ac neruis satis copiosis praedita est. Relinquit substantia vteri in medio *canum* quoddam, quod a fundo superius, ex lateralibus vero partibus a corpore et inferius a ceruice terminatur, ita, vt triangularis eiusdem exurgat figura. Trianguli huius latera nullam superficiem formant, sed in solas lineas curuas abeunt: vnde dicti trianguli latera curuilinea euadunt, quorum conuexitates introrsum cauitatem respiciunt, sed plana huius trianguli seu potius superficies compressae sunt et semet contingunt, atque per solum vasorum vteri halitum a concretionem defenduntur.

§. XXII.

Fundus vteri crassior est omni reliqua parte; sed vbi tubas e suis lateribus educit, ibi tenuis nimis; latera autem in orificium sese determinantia satis densa sunt; at vbi collum suum sortitur initium, ibi firma atque stipata instructa sunt cellulositate. Orificium vteri, quod rimam constituit, angustum est in statu naturali et paruum non nisi stylum admittit. Tota cauitas vteri duplici inueltitur membrana, neruea nempe atque villosa, flocculenta, vtraque e cute ac epidermide vaginæ continuata.

§. XXIII.

Sed cauitas haec (§. XXI.) triangularis, binos e suis lateribus emittit canales conicos, vermiformes, qui paululum producti incuruant sese versus ouarium, ita, vt tubas quasi forment, crescendo tamen semper in suo diametro. Tandem in fimbrias semet siue lacinias dispergunt, mirificis vasorum sanguineorum anfractibus intertextas. Canales hi *tubae sunt fallopianae* dictæ a suo inuentore. Interiore eorum cauitas a primo sui ortu vix subtilissimum transmittit stylum et dicitur *orificium tubarum vterinum*; tandem magis magisque ampliatur vsque dum definat in *orificium abdominale* et plicas format. Fabrica eadem est cum vtero; cauitas interna tunicis iisdem vestita, externe peritoneo circumdata.

§. XXIV.

Omnis autem neruus rei eo deuolutus est, vt datum id temporis videatur, quo liceat stupendum illud naturæ mysterium paullo attentius contemplari, idque, quantum vires ingenii nostri permittunt, enodatus enucleare. Femina dum virum admittit: viribus naturæ,

turæ, copiosiori spirituum et sanguinis influxu in partes; omnis generis vasis ditissimas, eius genitalia turbida euadunt. Eodem tempore tubae fallopianae fimbriis suis arcte ouaria complectuntur *b)*, ab iisdem viribus erectæ et ad ouaria ab ipsis alis directæ. Tum femina semen virile excipit calidum, spirituosum, summe elasticum, attamen spissum ac viscidum. Vnam vel alteram horam post congressum, si ille fuit foecundus, vna vel altera vesicula turbida apparet, post modum turgescere incipit et protuberantiam quamdam in ouario format *c)*. Quo tempore femina *concupere* dicitur.

§. XXV.

Quum igitur dictæ §. præced. mutationes euincant, conceptionem fieri in ouario, non tamen absque semine virili: vtique istam mutationem a semine virili accipere debuit. Sed omnem mutationem in corpore actionem supponere, hancque, si corporea sit, sine contactu impossibilem esse, demonstrant philosophi. Alias enim actio in distans possibilis foret; quod vero absurdum *d)*. Ergo semen debuisse ouulum contingere manifestum est. Aut igitur pars eiusdem viscida, aut subtilis ac volatilis contigit: prius improbabile reddunt variae rationes; semen enim viscidum, vtpote pigrum, ad tantum iter emetiendum (e vagina vsque ad ouarium), ineptum est; nec adsunt vires aliae, quae illud deferre possent. Vterus namque motu aliquo peristaltico non gaudet; neque in ipsis tubis vnquam talis con-

b) Vid. GRAAFIUS de *mul. organ.* cap. XVI. *cel.* HEISTERI *anat.* §. 138. *cl.* KVHLEMANN l. c. *sect.* II. *obseru.* I.

c) REGNERVS DE GRAAF. l. c.

d) *Cel.* DARIUS *metaph. entol.* §. 93.

contrariae directionis motus peristalticus obseruatus fuit *e*). Neque video etiam, qui externam ouarii membranam subire possit, multo minus vesiculae et ad intima vsque ouuli peruenire penetrabilia *f*). Relinquitur ergo posterius, vt pars sola halituosa, volatilis, *aura seminalis* dicta, ad modum vaporum, superiora petat, et dictas in ouulo producat mutationes.

§. XXVI.

Dum ergo aura seminalis ouulum contingit, in eius se infinuat interiora, motum in fluidis, ibidem contentis, excitat intestinum, sua se elasticitate expandit, turgescientiam efficit, ac rudimenta parumper disiungit. Tum interstitia inter particulas fibrarum maiora fiunt et partes fluidorum homogeneae ex adhaesione in ea penetrant, fibrae crescere incipiunt, parietes vasorum firmiores fiunt, et se contrahendo fluida propellere incipiunt. Tunc *initium fit vitalitatis*.

Determinare nunc nobis incumberet, quomodo vitalitatis initium cum foetu communicetur. Ast quum res haec sit difficultatum plena: argutioribus eam ingenii relinquimus, vsque dum, in lucem protracta, meliora cogitare nobis facultatem concedat. Interim vero contenti esse possumus solida satis *illustr.* PRAESIDIS explicatione, quam in physiologia sua dedit Tab. VI.

§. XXVII.

Haec (§pho. antec.) dum in spem fiunt futurae matris; crescit mole sua ouulum *g*), liquidum in vesicula *Graafiana* premit, hoc proprios parietes et adiacens

e) Conf. KVHLEMANN l. c. §. 54.

f) Vid. *illustr.* HAMBERGERI *physiol.* §. 1447.

g) Vid. KVHLEMANN l. c. sect. III. obs. I. WALISNER *hist. gener.* p. II. c. I. §. 11. et c. III. §. 14.

cens peritoneum. Extenditur ergo tam diu, donec extensionis non amplius capax *b*), rumpatur vesicula *i*) ac peritoneum, vel quaecunque, si adest, dilatetur orificium, et ouulum in tubas profiliat. Eodem tempore, quando tensio haec exterioris inuolucris ab ouulo intus crescente peragitur, irritatio fit vasorum ouarii maxima, qua simul tubae in consensum trahuntur. Adfluxus ergo fit ad eas maior, et tubae turgere incipiunt atque de nouo applicantur ouariis *k*). Ouuli itaque egressu his quoque adiumentis faciliori reddito, ipsum ouulum tandem in cauitatem tubarum *fallopianarum* excluditur.

§. XXVIII.

Superatis hoc modo tot tantisque angustiis, ouulum gremio suo tubae *fallopianae* excipiunt et vltro motu peristaltico in sinum vteri promouent. Euidens hic motus est et in animalibus viuus, cultro anatomico subiectis, adeo manifestus *l*), vt distincte reptatus eius vermiformis conspici possit, qui ab orificio tubarum abdominali incipit et vltro continuat, vsque dum in orificio tandem desinat vterino. Quamprimum igitur contactus ouuli fit cum tubis: necesse est, vt, ob solum contactum, tubae irritabiles ad contractionem sollicitentur et motum hunc peristalticum exserere incipiant. Ouulum iam per se lubricum, dum intra cauitatem haeret lubricam, vt vltro promoueatur, necesse est: quare

D

denuo

b) KVHLEMANN l. c. sect. III. obs. II.

i) Idem sect. III. obseru. III.

k) REGNERVS DE GRAAF l. c. cap. XVI.

l) *Perillustr.* DE HALLER l. c. §. 825. WALISNER *Hist. gener.* part. II. cap. V. §. XII.

denuo stimuli, propter contactum nouum, in aliis erunt locis, et motus tubarum reiterabitur vltcrius: donec ouulum totam cauitatem tubarum peruaserit et stimulos facere desinat, inque ipsum vteri cauum deponatur.

§. XXIX.

Euictum supra est (§. XVII.), ouulum villis seu flocculis vndiquaque circumdari, qui fines vasorum ouarii sunt ad ipsas ouuli membranulas exporrecti, et duplicis generis vascula constituere, exhalantia nempe et reuulentia. Dum ergo tuba *fallopiana* strictura sua satis valida ouulum per angustam cauitatem (§. XXIII.), versus vterum sensim sensimque vrget: vagabundi flocculi, mollissimi, omnique facile pressioni cedentes reflectunt sese ad latera, verticem ouuli posteriorem perunt, et motui oppositum occupant situm. Alia itaque flocculorum emergit situatio, eorumque fines omnes in vnum collecti, fasciculum constituunt, alterum tubae orificium respicientem. Figura denique ipsa ouuli hactenus sphaerica, vt in oualem mutetur, necesse est; quando ab ampliori tubae conicae fine semper in magis magisque angustum promouetur. Quare duplicis generis vertices exsurgunt; alter nimirum acutus, qui vteri, alter obtusus, qui abdominis cauum respicit.

§. XXX.

Ouulum tandem ad vterum depositum (§. XXVIII.), iuxta tubae orificium vterinum immotum haeret, quia maximam vltro progrediendi acquirit resistentiam: superficies namque vteri tam arcte sibi inuicem accumulunt, vt aegre a concretionem per liquidum exhalans defendantur (§. XXI.): quare nunc desunt vires ouulum vltro promouentes, et necessario in primo sui aduentum loco

loco moras neſtere cogitur; donec vterus mole ſua creſcens, cauum maius permittat, et, facta flocculorum ouuli cum vaſis vteri per ἀναſόμεωων vnione, placenta formetur vterina.

Non eſt omnino negandum, fieri poſſe, vt ouulum profundius in vteri cauitatem protrudatur; ſi haec paulo ſpatioſior ſit et ſuperficies non valde arcte ſeſe contingant: quum exempla non rara ſint, vbi flocculi ouuli cum media fundi vteri, immo ipſius corporis parte per dictam ἀναſόμεωων vniuntur, et placentam efformant vterinam.

§. XXXI.

Verum enim vero vti foetus cum ouulo in ouario adhuc contentus, per vltimas flocculorum ſuorum extremitates a vaſis ouarii nutritionem accipiebat (§. XVIII.); et facta eorum ſolutione a ſucco e cauitate ſua reſorpto nutriebatur: ſic vt vltro incrementa poſſit capere, alio modo ſapiens natura ſibi proſpicit: videlicet flocculi, in vertice ouuli obtuſo in vnum collecti (§. XXIX.), et iuxta orificium tubae fallopianae haerentes (§. anteced.), cum proximis, ad tubas fallopianas, fundi vteri flocculis ita concreſcunt, vt extremitates ouuli arterioſae cum venoſis vteri, et venoſae viciffim ouuli cum arterioſis per ἀναſόμεωων vniantur, et ſic perpetuus fiat circulus humorum matris in foetum et foerus in matrem.

§. XXXII.

Multum vtique huic flocculorum penes tubas adhaeſioni fauet: primum enim locus hic proximus eſt, quem flocculi contingere poſſunt; deinde plurimi ibidem villi deprehenduntur, adeoque firmior fieri poteſt cohaeſio; poſt haec filamenta ouuli (flocculos intelligo)

iam maximam partem versus verticem obtusum diducta sunt (§. XXIX.), hinc in reliquis punctis denegata *ἀναστόμωσις*; denique ob incrementum suum, ouulum fundi parietibus semper adprimitur non tamen in tota sua peripheria; quia haec ovalis (§. XXIX.) est et vertex acutior collum vteri respicit, cavitas vero vteri triangularis (§. XXI.): sed in vertice obtuso tantum, vbi plurima puncta contactus adsunt. Ex his elucescere iudico rationem, cur potius nexus fiat cum fundo vteri penes tubas, quam cum reliqua vteri parte?

§. XXXIII.

Neque velim existimet quisque, omnes arteriosas extremitates ouuli filamentosas, cum extremitatibus villorum vteri venosis et in vicem versam per *ἀναστόμωσιν* vniri. Nam satis superque est pro nutritione foetus, si ista vno in quibusdam tantum obtinet locum. Fieri enim potest et debet, vt duae venosae extremitates simul *ἀναστόμωσιν* forment atque concrecant: sed talium cauitates, quia ex vtrisque fluidum abit in suum truncum, aboliri debent et penitus in fibram consolidari. Idem fieri debet, si flocculorum limbi se non in tota sua peripheria tangunt ideoque *ἀναστόμωσιν* constituere non possunt, sed lateraliter tantum in quibusdam parietum suorum punctis ex adhaesione cohaerent. In vtroque igitur casu filamenta antea caua in fibras solidescences mutantur, et sic ouuli cohaesionem cum vteri substantia efficiunt firmiorem *m*).

§. XXXIV.

Facta ergo quarumdam tantum extremitatum arteriosarum cum venosis anastomosi, liquida ad fines suos

m) Conf. *Illustr. HAMBERG. physiol. §. 1481. et 1482.*

suos adacta, cum alius exitus non detur, in vas suum, anastomosi iunctum transire debent, et ita perpetua imposterum adest humorum matris cum foetu communicatio, et foetus rursus cum matre *n*). Crescit hac ratione foetus mole sua, crescit itidem yterus, propter stimulos perpetuos a foetu crescente illatos; dum nempe adfluxus humorum fit maior in vteri vasculosam substantiam, hancque expandit et sic receptaculum foetui euadit commodius.

§. XXXV.

Satisfecisse, mihi videor, promisso meo, ostenso ouuli impraegnati nexu cum vtero; neque permittit instituti ratio, vt vltro de incremento foetus et reliquis eiusdem in vtero mutationibus verba faciam. At priusquam finem meo imponam labori: id vnum adhuc relictum supermanere puto, vt propositam a me hocce specimine inaugurali generationis theoriam ab omni suspicione liberem. Quem in finem vnicum modo egregium remouere allaborabo dubium, quod contra praeformatam structuram foetus in ouulo directum est. Reliqua enim vix vlla indigent responsione, cum iam solide ab aliis refutata sint. Regeritur autem huncce in modum: *si structura in ouulo adest praeformata, vascula quoque adesse debere subtilissima. In his vel fluidum esse, vel non, si fluidum inest, illud moueri*

D 3

non

n) Probat eandem eleganter, et extra omnem dubitationis aleam ponit hoc phoenomenon, quod foetus vasa semper depleta et sanguine euacuata deprehendantur; si mater haemorrhagia quadam morti succubuit. Vid. *cel. HEISTERI anat.* Not. 36.

non posse, vita scilicet nondum praesente. Stagnans vero fluidum corrumpi. Si non adest fluidum, tunc collapsa vasorum latera cohaerere debere et concreta adeo, obstrui, quod tamen non fit. Concedam adesse etiam fluida in praeformata structura: non tamen inde necessitas quaedam absoluta infertur, vt in circulum agantur in staminibus; si manere debeant a putredine immunia. Sufficit enim, si renouatio fluidorum ab extra accedat e corpore matris, per vascula exhalantia et resorbentia, qualia assumere suadet (§. XVII.) et inde deductum (§. XVIII.) corrollarium. Alias enim, quacunq; adsumpta hypothesi, idem argumentum valeret, et fluida in ouulo contenta semper irent in corruptionem. Quod vero nemo adfirmare sustinebit. Et quaeso, si quis statueret non nulla vascula, pertusis ouuli membranis, in ipsam semet immittere delineatam structuram, quae talem renouationem fluidorum efficerent, quis facile illud impugnaret? Certe ipse funiculus vmbilicalis illud plausibile reddere videtur.



VIRO
IUVENI PRAECLARO ET EGREGIE DOCTO
DOMINO CANDIDATO

S. D. P.
P R A E S E S .

Academiarum civis, CANDIDATE doctissime, pluribus annis fuisti: id quod eo maiorem laudem mereatur, quo citius multi ex more depravato institutionum scholas deserere solent. Quatuor fere annos in illustri ALBERTINA transegisti: quo tempore in scientiis philologicis cl. FLOTTVELL, in philosophicis ampl. CHRISTIANI, in medicis excell. viri RAPPOLT, THIESEN, TESCHKE, WERNER, BOHLIVS, LAVBMEYER, BÄTNER, HARTMAN et A SANDEN, studiorum Tuorum profectus auxerunt. Post haec, imbutus tot docentium doctrinis, ad Medicos Berolinenses accessisti priuatoque illustris MECKELII ductu anatomiam et artem, quae obstetricis officium agit, excoluisti: porro chirurgicos labores, quos exc. PALLAS praemonstravit, didicisti, et ante discessum profectus TVOS per exercitationem illam, quam cursum anatomicum vocant, cum adplausu, ut egregium illustris Collegii testimonium refert, probasti. Tandem in ciuitatem TE recepit FRIDERICIANA nostra, et laudabilem in studiis diligentiam obseruauit: cumque in domo mea museum TIBI elegeris, habui TE per integrum annum auditorem, qui industria sua et honestate mihi satisfecit, et manus auxiliares in aegrotis tam medice quam chirurgice sanandis indefessa alacritate porrexit. Quare, Candidate doctissime, gratulor lauream doctoralem, quam post defensionem dissertationis, cuius TV verus auctor es, dignus reportabis, et ut illa familiae TVAE solatium omnibusque, qui TVO auxilio vsuri sunt, fructum adferat et emolumentum, sinceris votis contendo. Hal. d. XII. Iun. MDCCLVII.

Par-

Parmi les félicitations, dont on *Vous* comblera aujourd'hui a l'occasion de *Votre* promotion en Docteur, agrééz, si *Vous* plait celle de *Votre* frere. Bien loin que de chercher des termes exquisés pour vous temoigner l'affection de mon ame, dont je crois que vous soyez entierement persuadé, je me contenterai a *Vous* dire simplement, que la joie, qui m'en revient, est extraordinaire et que je *Vous* y felicite de tout mon coeur. *Votre* pere, a qui votre absence faisoit quelque fois assez de peine, s'en croit maintenant bien domagé par les fruits, qu'il vous voit cueillir de votre erudition. *Votre* exemple me donnera de l'envie a vous suivre, voiant que la diligence jamais n'est pas destituée des recompensés. Je suis

Bartenstein
le 2 May
1757.

Votre frere
CHRETIEN HENRI PERKVHN.



Halle, Med. Diss. 1744-59
VD 18

ULB Halle
002 830 671


3



TA90C


Rebo





Hall
1714





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICO -PHYSIOLOGICA
DE

OVVLI IMPRAEIGNATI
NEXV CVM VTERO

QVAM
DIVINI NVMINIS AVSPICIIS
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
V I O

ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DN. IOANNE IVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE ET PROFESSORE PVBLICO ORDIN.
ORPHANOTROPHEI HALENSIS MEDICO PRACTICO
CELEBERRIMO

FAVTORE AC PRAECEPTORE OMNI OBSERVANTIA
COLENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMSIQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS SOLLEMNITER CONSEQVENDIS

AD D. XV. IVNII MDCCLVII.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI SVBMITTIT

A V C T O R

BERNHARDVS PERKVHN

BARTENSTEINII PRVSSVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.